

*set rebaptizandus.* . . . sufficit autem, quia Sacraenta valide administrantur haereticis, cum Ecclesia definiet eos non esse denuo baptizandos, vel ordinandos, quando redeunt ad Ecclesiam catholicam; atqui in illis non alia fuit dispositio, quam voluntas recipiendi Sacramentum; ergo.

Dixi: *Excepta poenitentia*, quia actus poenitentis sunt illius materia essentialis; ergo sine illis, et aliis quae non praecedere debent, nullum est Sacramentum Poenitentiae.

*Objicies.* Nonnulli inviti ordinati sunt, quorum tamen ordinatio rata habita est; ergo.

*Resp. Dist. ant.* Ordinati sunt inviti secundum quid, id est, cum aliqua repugnantia propter metum et reverentiam, *conc.* ordinati sunt simpliciter inviti, nego. Qui enim sic reluctantates erant, subinde, ut votis Ecclesiae, et superiorum voluntati, se faciles praeberent, consentiebant se ordinari.

*Quaeres 2. Qualis intentio requiratur in subjecto ad Sacramentum valide recipiendum?*

*Resp.* Non requiritur actualis, aut virtualis, nisi in Matrimonio, nam Concilia et Rituale Rom. praecipiunt, ut baptizetur moribundus ratione et sensibus destitutus, modo constet de praeterita ejus voluntate; atqui tali moribundo non inest nisi habitualis intentio; ergo sufficit intentio habitualis; imo quandoque sufficit interpretativa, ut constat ex constanti praxi Ecclesiae, quae fidibus repentina morbo correptis, quo usum linguae et rationis amiserunt, administrat Sacraenta Poenitentiae et Extreme Unctionis, etiamsi illa ante non experierint, in quibus est solum intentio interpretativa; ergo.

*Quaeres 3. Quaenam dispositiones requirantur ad recipienda cum fructu Sacraenta?*

*Resp. 1.* Ad Sacraenta mortuorum, requiruntur ex Conc. Trid. quinque actus, nempe, fides, timor, spes, amor Dei initialis, odium et detestatio peccati.

*Resp. 2.* Ad recipienda Sacraenta vivorum, requiritur, praeter illos actus, gratia sanctificans, quia eam supponunt in subjecto, cum sint instituta ad eam auggendam.

§. V. *De Effectibus Sacramentorum.*

*Quaeres 1. Quotuplex sit effectus Sacramentorum?*

*Resp.* Duplex, nempe, *gratia*, quae ab omnibus producitur, et *character*, qui a Baptismo, Confirmatione, et Ordine tantum producitur.

*Quaeres 2. Qualem gratiam conferunt Sacraenta?*

*Resp.* Duplicem, nempe, gratiam *communem* omnibus Sacramentis, et gratiam *specialem* unicuique Sacramento, quae ideo *sacramento* dicitur.

*Quaeres 3. Quis sit gratia illa communis?*

*Resp.* Est gratia sanctificans, vel *prima*, quam conferunt Sacraenta mortuorum, utpote instituta ad mortuos justificandos; vel *secunda*, quam conferunt Sacraenta vivorum, utpote instituta ad augmentum gratiae.

*Quaeres 4. Quid sit gratia sacramentalis?*

*Resp.* Definiri potest: *Gratia habitualis, annexum habens jus ad gratias actuales necessarias ad assequendum finem proprium cuiusque Sacramenti.*

Ergo gratia sacramentalis non statim a suscepto Sacramento, et simul confertur, sed tantum successivè, et opportuno tempore, eum, nempe, occurrent occasiones finem Sacramenti suscepti spectantes, licet statim cum Sacramento recepto acquiratur jus ad illas gratias suo tempore et loco accipiendo.

Ergo amissa gratia sanctificante, amittitur gratia sacramentalis, quia amissio juris fundamento, jus ipsum amittitur, recuperatur autem cum gratia sanctificante, per poenitentiam.

*Quaeres 5. Utrum Sacraenta conferant semper aequalem gratiam?*

*Resp.* Inaequalem conferunt gratiam iis qui sunt

inaequaliter dispositi. Nam Conc. Trid. sess. 6. cap. 7. docet baptizatos recipere gratiam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem, et cooperationem. Ratio est, quia Sacraenta sunt causae necessariae; sed causae necessariae plus vel minus operantur in subjecto, secundum majorem vel minorem ejus dispositionem, ut patet in igne, qui intensiore producit calorem in ligno quam in stipula; ergo, &c.

*Objicies.* Ergo major illa gratia non datur ex opere operato, sed ex opere operantis, virtute nimis di- spositionum quae sunt in subjecto; absurdum conseq.

*Resp. Nego conseq.* Quia illae dispositiones non sunt causae effectrices gratiae, sed tantum conditiones necessariae ex parte subjecti, sine quibus Sacraenta non tantum producent gratiam ex opere operato.

*Quaeres 6. Utrum Sacraenta novae legis conferant gratiam ex opere operato, vel tantum ex opere operantis?*

*Resp.* Producunt ex opere operato iis qui nullum obiciem opponunt; non autem ex opere operantis, quia producunt eam praecise vi operis ex instituto divino exerciti; non autem ex merito conscientis, aut suscipientis Sacraumentum. Ita definit Concil. Trid. sess. 7. can. 8. *Si quis dixerit per illa novae Legis Sacraenta ex opere operato non conferri gratiam.... anathema sit.*

*Objicies 1.* Justificamur per fidem, Roman. 3. Arbitramur justificari hominem per fidem; ergo non per Sacraenta.

*Resp. Nego conseq.* Nam justificamur, et per fidem et per Sacraenta, sed diversimode: per fidem tanquam dispositionem necessariam ad justificationem; per Sacraenta, tanquam causam productivam gratiae. Textus Apostoli non excludit Sacraenta, sed solum opera legis Mosaicae.

*Objicies 2.* Voces istae, ex opere operato, sunt novae; ergo rejiciendae.

*Resp.* 1. Non sunt novae; nam a 500. annis usurpatae sunt ab Innoc. III. lib. de mysterio Missae. 2. Non sunt novae quoad sensum, sed tantum quoad syllabas, nam haec fuit semper fides Ecclesiae, quod Sacraenta producerent gratiam ex se, quod idem est ac ex opere operato. 3. Etiam si essent novae, essent retinendae, nam Ecclesia habet jus novas usurpandi voces in casibus occurrentibus ad antiquam fidem tuendam.

*Quaeres 7. Utrum Sacraenta novae legis conferant gratiam physice, aut moraliter tantum?*

*Resp.* Conferunt moraliter tantum, hoc sensu, quod Deum efficaciter et immediate moveant ad gratiam physice producendam, ex pacto, scilicet, quo se libere obstrinxit, ut ad praesentiam illorum signorum gratiam certo conferret iis qui nullum opponunt obicem: ita docent Scotistae contra Thomistas.

*Objicies 1.* Scriptura testatur hominem *ex aqua et Spiritu Sancto renasci; salvum fieri per lavacrum regenerationis;* atque particulae *ex et per,* denotant causalitatem physicam; ergo, &c.

*Resp. Nego min.* Equidem particulae *ex et per,* denotant veram causalitatem, sed abstrahunt a modo causalitatis, cum usurpentur ad causalitatem tum physicam, tum moralē explicandam.

*Objicies 2.* Vetera Sacraenta producebant gratiam moraliter; ergo nova illam producunt physice.

*Resp. Nego ant.* Nam Sacraenta vetera utpote infirma et egena elementa, *non ex seipsis et ex sua institutione,* movebant Deum ad dandam gratiam; sed ex fide duntaxat in Christum venturum, cuius erant publicae protestationes; unde non erant causae morales gratiae, sed duntaxat conditiones sine quibus non, ut ajunt. At nostra sacraenta sunt verae causae morales, eo quod sint moraliter actiones Christi, cuius nomine fiunt.

Quaeres 8. Utrum Sacraenta, fide [id est, cum pravis dispositionibus] suscepta, sublato per poenitentiam obice, reviviscant?

Resp. 1. Saeramenta characterem imprimentia reviviscunt. Id affirmant D. Aug. de Baptismo: *Tunc valere ad salutem incipit Baptismus*, inquit, *cum illa factio veraci confessione recesserit....* De Ordine et Confirmatione constat, nam cum haec Sacraenta iterari non possint, valide confirmatus, aut ordinatus, gratiam sacramentalem ad assequendum finem horum Sacramentorum necessariam, nunquam obtinere possent, quod videtur incredibile.... Propter eandem rationem probabile est *Matrimonium*, durante eodem conjugio, et *Extremam Unctionem*, durante eodem morbo, reviviscere, cum iterari non possint.

Resp. 2. Non reviviscit *Poenitentia*, quia quando est informis, est etiam nulla; quod autem nullum fuit, postea reviviscere et operari non potest. Nec *Eucaristia*, quia, cum saepius repeti possit, non fuit necesse, ut Christus eam reviviscere voluerit.

Quaeres 9. Quomodo Sacraenta veteris legis conferabant gratiam?

Resp. Ex opere operantis tantum: nam ab Apost. ad Galat. 4. dicuntur *infirma et egena elementa*; at qui non essent infirma et egena elementa, si conferrent gratiam ex opere operato; ergo &c. Hinc Concil. Florent. definit, quod *non causabant gratiam, sed eam tantum per passionem Christi dandam esse figurabant*.

Objicies. Circumcisio gratiam causabat ex opere operato; ergo.

Resp. Nego ant. Abraham enim *Circumcisionem accepit in signum, non ad justitiam*, ait S. Justin. dialogo cum Triphone, cui consentiunt omnes Patres Augustino antiquiores.

Prob. ant. Circumcisio instituta fuit ad peccatum originale delendum; ergo justificabat ex opere operato.

Resp. Nego ant. Nam unice instituta est, ut esset signum foederis inter Deum et Abrahamum ejusque posteros, Genes. 17. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum, ut sit in signum foederis inter me et vos*. Non ait ut sit in remissionem peccati, sed *in signum foederis*.

Inst. In circumcisione delebatur peccatum originale; ergo ad illud delendum fuit instituta.

Resp. Nego conseq. Evidem in Circumcisione delebatur peccatum originale: *Non ex virtute Circumcisionis*, ait D. Thom. 3. part. quæst. 70. art. 4. *sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat Circumcisio, ita scilicet quod homo qui accipiebat Circumcisionem, profitebatur se suspicere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis*. Unde et Apost. dicit, Rom. 4. quod, Abraham accepit signum Circumcisionis signaculum justitiae fidei, *quia scilicet justitia erat ex fide significata, et non ex Circumcisione justificante*. Evidem D. August. contrarium sensit; sed non adhaeremus ejus sententiae, quia versione Graeca, qua utebatur, fuit deceptus.

Quaeres 10. Quid sit character?

Resp. Definitur, *signum spirituale, indelebile, impressum animae, quo homo ad divina deputatur, et ab aliis distinguitur*.

Dicitur 1. *Quo homo deputatur ad divina*; nempe ad Sacraenta, vel recipienda, ut Baptismus; vel ad ministranda, ut Ordo; vel ad fidem profitendam, ut Confirmatione. Hinc probabilius est characterem pertinere ad secundam speciem qualitatis, scilicet, ad potentiam; quia dat simpliciter agere vel pati, nempe, sacra suscipere, vel agere.

Quaeres 11. Quot Sacraenta imprimant characterem?

Resp. Tria, scilicet, Baptismus, Confirmatione, et Ordo, ut constat ex perpetua, traditione Ecclesiae, ad \*

quam attendens Conc. Trid. sess. 7. can. 9. definit:  
*Si quis dixerit in tribus Sacrementis, Baptismo, scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi charaterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indeleibile, unde ea iterari non possunt; anathema sit.*

### § VI. De caeremoniis Sacraementorum.

Quaeres 1. *Quid intelligatur per caeremonias Sacraementorum?*

Resp. Intelliguntur ritus Sacramentales, et Sacramentalia.

Quaeres 2. *Quid sint ritus Sacramentales?*

Resp. Sunt, actus externi Religionis ab Ecclesia instituti, ad decentem et devoutam Sacraementorum administrationem.

Quaeres 3. *Utrum situs Sacramentales sint utiles?*

Resp. affirm. Nam, ut decet Conc. Trid. sess. 22. cap. 5. valent ad majestatem et reverentiam mysteriorum nostrae Religionis conciliandam, ad pietatem fiduciam promovendam, ad nutriendam eorum fidem, notitiamque mysteriorum veluti oculis subjiciendam; ergo.

Quaeres 4. *Utrum liceat in Sacraementorum administratione ritus ab Ecclesia usitatos et approbatos mutare, vel omittere?*

Resp. Est peccatum mortale ex genere suo, ut definit Conc. Trid. sess. 7. can. 13. Ratio est, quia tenetur Ecclesia in omnibus obsequiis.

Quaeres 5. *Quid sint Sacramentalia?*

Resp. Sunt, quidam ritus externi, ab Ecclesia instituti et consecrati, ad quosdam effectus spirituales producendos.

Quaeres 6. *Quot sint Sacraementalia?*

Resp. Sex numerantur versus sequenti comprehensa-

*...ta. ...ta. ...ta. ...ta. ...ta. ...ta.*

*Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.*

Quaeres 7. *Quinam sint Sacraentalium effectus?*

Resp. Est remissio peccatorum venialium, et interdum excitatio gratiae actualis, remissio poenae temporalis peccatis quoad culpam remissis debitate, compresio daemonis, operatio sanitatis, &c.... Dux, interdum; quia hos effectus producunt infallibiliter, cum Christus non promiserit illos ad praesentiam Sacraentalium operari.

## DISSESSATIO II.

### De Baptismo.

Nota. **A** gemus 1. de natura, materia, et forma Baptismi; 2. de ejus necessitate; 3. de ejus ministro, et subjecto; 4. de ejus effectibus, ac caeremoniis.

### § I. De natura, materia, et forma Baptismi.

Quaeres 1. *Quotuplex sit Baptismus?*

Resp. Triplex, nempe, Baptismus sanguinis, estque martyrium. Baptismus flaminis, estque votum, seu desiderium recipiendi Sacraementum Baptismi. Et Baptismus aquae, qui est primum novae legis Sacraementum, de quo hic.

Quaeres 2. *Quid sit Baptismus?*

Resp. Definitur, Sacraementum, a Christo institutum, ad spiritualem hominis regenerationem, per exteriorem corporis ablutionem, factam aqua sub praescripta verborum forma.

Quaeres 3. *Quandonam institutum fuerit Sacraementum Baptismi?*

Resp. Probabilius est institutum fuisse ante passio-